

amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis, et amici mei, M. Pacuvii, nova fabula? cum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuisse facturos? Facile indicabat ipsa natura vim suam: cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid sentirem, potuisse dicere: si qua praeterea sunt (credo autem esse multa), ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote. *Fann.* Nos autem a te potius: quamquam etiam ab istis saepe quaesivi, et audivi, non invitus equidem; sed aliud quoddam expetimus filum orationis tuae. *Scaev.* Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de republica disputatum, affuisses, qualis tum patronus justitiae fuit contra accuratam orationem Phili! *Fann.* Facile id quidem fuit, justitiam justissimo viro defendere. *Scaev.* Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia, justitiaque servatam, maximam gloriam ceperit?

*Lael.* Vim hoc quidem est afferre: quid enim refert, qua me rogatione cogatis? cogitis certe. Studiis enim generorum, praesertim in re bona, cum difficile est, tum ne aequum quidem, obsistere. Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti, maxime illud considerandum videri solet, num propter imbecillitatem, atque inopiam, desiderata sit amicitia: ut in dandis, recipiendis—que meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet? an esset hoc quidem proprium amicitiae: sed antiquior, et pulchrior, et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo amicitia nominata, princeps est ad benevolentiam conjungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur, et observantur causa temporis: in amicitia